

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De Fidei Formvlarvm Praecipve Avgvstanae Confessionis Ivstitia Et Vsv

**Bernhold, Johann Balthasar
Schifflin, Johann Sigismund**

Altorfii, [1730]

§II.

[urn:nbn:de:bsz:31-67824](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67824)

Θεομίεως exacte consentiat. Hinc ualere a nostra tractatione iubemus heterodoxorum formulas, quae sensu tantum abusu et grammatico sic audiunt. Quae ipsa doctrina uera spectatur (3) *quatenus in litteras redacta, et publice est proposita*, ut sic denotet publicum uerae doctrinae scriptum, quod (7) noua accedente relatione, requirit *hominum eidem addictorum cum eadem consensum*, eumque et externum et internum; ut hac tandem ratione *formulae fidei* significant: *publicum uerae doctrinae scriptum a uero Christianorum hominum coetu, cuius sunt formulae, approbatum et receptum*. Consensum externum, qui uoce scriptisque declaratur, requiri, uel ipsa fidei formularum synonyma, uox confessio, confessorumque finis et scopus innuit. Quid enim aliud est confessio, quam externa professio consensus? quemue alium ob finem confessores ueritatem testati sunt, quam ut eorum confessio sibi, aliisque in religione sequacibus, norma sit doctrinae scripto oreque proponendae; internum uero consensum quoque requiri, et ipsum fidei formularum obiectum, et iterum confessorum intentio nos edocet. Obiectum formularum fidei sunt ueritates diuinae, ad has uero serio credendas quiuis obligatur, modo eas prius agnouerit ueras. Intentio confessorum fuit, ut non solum ore, sed et mente quis fidei consentiat, coetus enim sui membra, minime hypocritas, aliud ore, aliud mente simulantes, uoluerunt, et certe, manifestos in doctrina hypocritas uera Ecclesia nunquam pro ueris sociis agnouit, ex accidenti, hominum nempe uitio, euenit, ut quandoque membra uerae Ecclesiae habeantur, qui externe tantum profitentur doctrinam, consensu interno defuituti; modo hic dissensus internus non aperte se prodat.

§. II.

Formulae.

Formulam (3) explicamus per regulam siue normam, probe uero attendi uolumus distinctionem inter normam primariam

mariam et secundariam, independentem et dependentem, normam normantem et normam normatam. [*haec et reliquas divisiones, earumque explicationes vid. ap. IOH. BEN. CARPZOV. in Isagoge in libros Eccl. Luth. symbol. p. 5. et 28. IOH. FRID. WALLISER. in Vindiciis libror. Eccl. Luth. symbol. p. 3. seq. GOTTL. WERNSDORFF. in Diss. de Autoritate libror. symb. Apb. IVto. et ap. eund. lege quaestionem quoque discussam: Num formulae fidei uniuoce uel aequiuoce, an ἀναλόγως normae titulo uocandae sint? p. 489. th. 10.*]

§. III.

Norma primaria, independens, et normans, est ipsa Scriptura S. idque probamus praecipue ab eius autoritate diuina et perfectione, uel unus in hanc rem sufficiat locus II. Tim. III. 16. Πᾶσι γραφῇ, ἡρόπνευστος καὶ ἀφείμιος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπιτίθεισιν, πρὸς παιδείαν, τὴν ἐν δικαιοσύνῃ· ἵνα ἄριστος ὡς ὁ τῷ Θεῷ ἀνθρώπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηγησιμὸς· habet ergo uim normandi, eamque non aliunde, nisi ex sua ipsius diuina αὐτονομία et perfectione.

§. IV.

Regulam secundariam, dependentem et normatam uocamus *formulas fidei*; exhibent enim ipsas diuinas Scripturae S. ueritates; rite tantum explicatas et applicatas; hasce uel διαρρήδην, uel κατὰ διάνοιαν proponunt. In utraque hac opera coetus uerus non propria utitur ἐπιλύσει, sed iuuatur gratia Spiritus S. docente, non immediata et fanatica, sed mediata, lumine uel supernaturali uel naturali; illo, Scriptura S., cum qua Spiritus S. gratia perpetuo coniuncta quemuis non resistentem illuminat, hanc scrutatur, meditatatur, collatione dictorum sacrorum Scripturam e Scriptura explicat; lumine denique naturali, regularum nempe hermeneuticarum siue logicarum, quas Spiritus S. gratia dirigente, sensui Scripturae explicando, eruendo, probando, defendendo adhibet Ecclesia.